

3405. (—). (Duranti, Jean-Etienne).  
Narratio caedis D. D. Ioannis t.  
Durantii Senatus tolosani principis  
et Iacobi Daffisii patroni regii. To-  
losae, 1667 ; in-4° de 2 ff. nch.. 39

Montagnac  
genève - 27932

pages, portrait. — Rare plaquette  
relative au meurtre de ces deux magis-  
trats qui, en 1589, avaient pris le  
parti du roi Henri III, contre les  
Ligueurs. — Cf. Moréri.... 30. —

P/XVII-93

# NARRATIO CÆDIS D. D.

IOANNIS STEPHANI  
DVRANTII  
SENATVS TOLOSANI PRINCIPIS.

ET

IACOBI D'AFFISII  
PATRONI REGII.

A.D.A.D.



TOLOSA,  
Apud Fr. BOVDE, ante Collegium Societatis IESY.

M. DC. LXVII.





## LECTORI.


**M**AGNI Omnia interest, calamitates eas quas summi Magistratus pro communi salute subjerunt, cunctis saculis notas esse: Amicorum autem maximè; qui, ut patienter tulerint acerbam illorum mortem ac Reipub. orbitatem, certè pati non possent, eorumdem rectè facta obliuione aliquā obrui. Virtutes tam insignes gloriā suā, posteros exemplis tam utilibus omnino carere. Eapropter Illustrissimi Duranti amicus unus; cum eius mortem luxisset gravissimè, doloris tam iusti & vehementis levamen fore credidit, si litteris eam mandaret atque obsequij eius in Regem perpetui, & charitatis in suos ciues, memoriam conseruaret. Hoc ille præstit edicā cœlis tanti viri narratione, & dudum

placuit curētis id scribendi consiliū & argu-  
mentum: iterata nunc eiusdem editio placebit  
tibi, Lector Benevole, qui clarissimas Durantij  
virtutes, in eius ex filia Nepote rediuiwas  
sape veneratus es ac Republica magno suo  
bono sensit, quas Filius ac successor istius me-  
ritissimus, & illustres ex Filialibus eius  
Nepotes tibi, quod precor, diu omnes repre-  
sentabunt. **V A L E.**





Religio mihi chara fuit Regisq; potestus  
Haec ego dum tueor concido vulneribus



# NARRATIO CÆDIS

D. D.

IOA. STEPH. DVRANTII  
SENATVS TOLOSANI PRINCIPIS.

ET

# IACOBI DAFFISII

PATRONI REGII.

**D**O STEA QVAM nunciatum  
est, fortissimum Ducem  
& Illustrissimum Cardi-  
nalem Guisios iussu R̄egis, in Co-  
mitijs Blesensis bus necatos fuisse;  
qui partes illorum Tolosæ sequē

A

bantur , ingenti metu percussi , vr-  
be se continere vix potuerunt . Sed  
cum nec vitam nec fortunas suas à  
quoquam peti viderent ; mox eo-  
rum animi attolli & noua quadam  
spe erigi coeperunt , maximè verò  
ex quo tempore Vrbanus de St.  
Gelais Baronis de Lansac illegitima  
proles Conueicularum Episcopus ,  
è comitijs in urbem rediuit , in  
qua breui tempore quam plurimæ  
tragœdiæ sunt excitatæ . Ac pri-  
mum licenter admodum de Rege  
ac ijs qui Reipub. clauum tene-  
bant loquuti , tandem eorum fa-  
mam contumelijs publicis lacera-  
runt , præcipue verò in Ioannem

Steph. Durantium Senatus Princi-  
pem tela sua intorsere , multa in  
illum falsò contulere , atque à pu-  
blicorum negotiorum administra-  
tionē remouendum esse prædica-  
runt : horum aliqui Regis iugum  
excutiendum esse palam dicta-  
runt , & obsequii eius studiosissimos  
quosque aut ejiciendos vrbe aut  
interficiendos , ac imprimis Du-  
rantium . Itaque consilio in Capi-  
tolio habito , perturbata omnia &  
ad mutationem status urbis at-  
que magistratum tendere consi-  
lia pluimorum visa sunt , nec de-  
fuere qui de Durant. fama publi-  
cè detraherent & contumelijs age-

4

rent in absentem. Quod cum gra-  
uiter molesteque ferret prudentis-  
simus Bertrandus in superemo Se-  
natu præses secundus, qui huic con-  
silio præterat, obtrectatoribus si-  
lentium imperauit, cui furiosi aliqui  
audacter obiecerunt, vnicuique li-  
berum esse debere, quæ vellet quæ-  
que sentiret in medium proferre.

Inualesceente igitur in dies magis  
ac magis rumore contra Senatus  
principis famā & existimationem,  
quidam infimæ fortunæ homines a  
nonnullis impulsi, libellum suppli-  
cem Senatui obtulerunt, quò lice-  
ret ex omnibus ordinibus certos  
in concilium Capitolinum adle-  
gere

gerē ciues qui vrbis custodiæ præ-  
sent. Hoc à Senatu ea lege impe-  
trato, vt cum Durantio magni mo-  
menti negotia communicarent,  
quò ad Senatum ea defferret; cœ-  
pit hebescere acies authoritatis Se-  
natus, qui dignitatem ad alios suam  
translisse visus est. Etenim noui  
illi Consiliarii tantum sibi iuris ar-  
rogarunt, vt summam rerum sibi  
creditam dicerent atque deman-  
datum, vt viderent, ne quid detri-  
menti Resp. caperet. Horum ius-  
su coacta sunt in Capitolio comi-  
tia adeo perturbata, vt nihil om-  
nino certi statuere Octouiri po-  
tuerint, propter plebeculæ con-

uocatæ multitudinem. Ideo vo-  
candum esse Durant. plurimi cen-  
suerunt, vt suâ præsentia comi-  
tiis authoritatem adderet & vul-  
gi petulantia coérceret. Ille quam-  
uis vitam suam maximis proposi-  
tam periculis videret, tamen in pu-  
blicum sine præsidio & sine custo-  
dia prodit, purâ mente atque in-  
tegrâ, nullo metu perterritus, nu-  
lla conscientia exanimatus: sciebat  
enim patienter audire cogi plera-  
que molesta, illos quibus tota Resp.  
comissa est. Itaque ter comitijs  
interfuit & commotum vulgus suâ  
prudentia & admirabili eloquen-  
tiâ temperauit. Tunc in spem ma-

7

gnām boni adducti, omnia in vrbe  
pacata deinceps fore : sed qui lo-  
cus quietis esse debuerat, in eo tur-  
bulentissimæ tempestates extite-  
runt. Nam tertio post die exorta  
est contentio de Regis authoritate,  
an illi parendum esset, nec ne? an  
in exilium mittendi, vel in carce-  
rem, Politici, sic Regios appella-  
bat; atque his sermonibus vltro ci-  
troque habitis, detectæ plurimo-  
rum mentes & occultata diu consi-  
lia erupere. Alij enim acriter con-  
tenderunt, vltro Regi non esse pa-  
rendum, at excutiendum Tyrani-  
nidis iugum; alij iuratam Regi fi-  
dem integrum esse debere atque

inuiolatam censuerunt. Inter quos  
Durant. summa qua pollebat di-  
cendi vi, Regi obtemperandum  
esse, diuinis humanisque legibus  
ostendit, quod persuadere coniu-  
ratis cum non posset, saltē obti-  
nuit, tantæ controversiæ iudicium  
ad senatum deferretur. Quia in  
contentione Iacobus Daffisius fi-  
isci Patronus Regiam causam ani-  
mo fortitudatus est, illosque seuerè  
reprehendit, qui urbem iure iuran-  
do Regi præstito solutam esse con-  
tendebant, ac eum maxime qui  
Regis effigiem in Capitolio depi-  
ctā, esse prorsus delendam dixe-  
rat. Multo ante tempore aliqui

Prædi-

9

Prædicatores concionibus sedi-  
tiosis in regem Magistratusque in-  
uehebantur & in Durant. populi  
furorem acuebant, ali j diebus fe-  
stis famosos in eum libellos tem-  
plorum foribus & notioribus com-  
pitis affigebant: quorum vltimus  
imaginem gladij habuit depictam  
necis Præsidis indicium. Sed nescio  
quo modo ipso vsu malorum iam  
obduruerat incredibilis patientia  
tanti viri. Monebant amici florem  
nobilitatis è vicinia & lectam ma-  
num adhiberet, virbis vitæque suæ  
præsidium necessarium, rem uti-  
que non nouam, sed ante malis  
Reipublicæ temporibus saepius fa-

Etiam. Is adexasperandos ciujum  
animos hoc consilij spectare res-  
pondit. Tempestatē & vrbis euer-  
sionem se ex alta specula prospice-  
re, sed huius malle ruinā opprimi  
quam tumultui excitando anſam  
dare. Itaque sexto Kal. Februarij  
an. 1589. Durantius partim preci-  
bus partim minis coactus Senatum  
à prandio præter consuetudinem  
vocauit: proposita superioribus  
comitiis dè Rege controuersia,  
vt tandem dirimeretur. Verūm  
propter discrepantes Senatorum  
ſententias, ea de re definiri plane  
potuit nihil. eodem tempore con-  
uenerant in palatium de infima

plebe armata manus, Senatus con-  
sultum audituri, quorum aliqui à  
nefarijs incitati, vt Durantium  
ingularent in eum abeuntem  
impetum facere & rhedam quâ  
is fortè vehebatur adactis ensi-  
bus confoderunt, illæso tamen  
Præside, quod resupinus iaceret,  
& celeri equorum cursu medias  
coniuratorum turmas perrumpe-  
ret. in hac fuga allisa ad putei mar-  
ginem rhedæ incitata rota dissiliit  
non longè à propriis ædibus, ubi  
cum parum tutus esset futurus in  
Capitolium properauit in quo to-  
tius Ciuitatis robur ac dominium  
penè situm est. bonorum opem

ciuum sibi non defore sperabat:  
verum longe aliter evenit, per-  
pauci amici, nulli affines, nulli pe-  
ricolorum socij obseruati, inde  
post medium noctis domum re-  
gressus adduci nunquam potuit  
ut quando id liceret urbe exce-  
deret & Garumna traecto inimi-  
corum tela euaderet, sed maluit  
rursus caput periculis obiectare, ne  
patriæ desertor videretur. Itaque  
sub auroram in Capitolium rediit.  
Ibi è tanto amicorum numero à  
paucis est salutatus. quò se fortuna  
eodē etiam fauor hominū inclina-  
vit. expertus est vir prudens, &  
Reipublicæ magis quā sibi natus  
verē

13

verè à M. Tullio dictum , nihil  
esse tam molle , tam tenerum , tam  
fragile , aut flexible quam volun-  
tatem erga viros bonos sensusque  
ciuium , qui non modo improbi-  
tati irascuntur , sed etiam recte fa-  
cta sæpe fastidiunt .

Percusso Præside dispersi Sena-  
tores , alii aliò diffugérunt , pertur-  
bata tota ciuitas , clausæ mercato-  
rum officinæ , expansæ pèr vicos  
catenæ publicæ , frequētes aggeres  
instructi & quasi aduersa intus ho-  
stium castra starent , belli ciuilis fu-  
nesta imago tota vrbe oberrabat  
Durātius cum imminere sibi mor-  
tem videret , ad eam fortianimo su-

D

beundam se paratum ostendit, non  
tam periculo suo commotus quā  
Vrbis & Prouinciæ pene totius in-  
digna à rege defectione : hac vnâ  
nimirum cogitatione sustentari se,  
aiebat cum Mauritio imperatore,  
*Deum iustum esse, & iusta iudicia eius.*  
Quatriduūm in Capitolio re-  
mansit obtinuitque , primò sibi li-  
ceret vrbe egredi & proficisci Bal-  
macum , castellum Archipiscopi  
Tolosani, altero fere milliari ab vr-  
be distans , quem ei secessum  
paulò ante Senatus de creuerat, cū  
valetudinis causa, tum seditionis  
compescendæ. Verum coniurati  
peruigili custodia vrbe continen-

dum censuerunt, fore alioqui, ut liber ciuitati bellum inferret, magna que molestia ciues afficeret; ac proinde præstare semotum è Capitolio, in Carcerem coniucere, quæ vicit opinio; itaque multis stipatus satellitibus in Cœnobium Dominicanorū detrusus est. Ibat, autem vir sapiens per viam, ibat altâ quadam mente præditus & contra furentis Populi impetum incredibili animi robore tanquam mœnibus septus, constanti vultu & gressu composito; credo quod duceret, Principum esse, resistere & leuitati multitudinis, & perditorum temeritati. Medius

incedebat inter Episcopum Con-  
uenarum & Castrensem salutis af-  
fertores, qui se Iure jurando astrin-  
xerant nullâ illum iniuriâ à quo-  
quam affectum iri. In Cœnobium  
aut potius in carcerem injecto vi-  
ginti quinque satellites in Custodi-  
diam dati, præfectique custodiæ  
tres ex omnium numero pessimè  
in illum animati & participes Con-  
jurationis, qui eum tam dirè ha-  
buerunt, ut ne filiam quidem vni-  
cam assiduis hoc precibus efflagi-  
tantem alloqui licuerit. Vxori tan-  
tum Mariæ ~~Aosjæ~~ de gente Cau-  
letiorum concessus est ad carissi-  
mum maritum aditus, ea tamen  
dura

durâ legè , ne regredi posthac, vel  
quemquam alloqui liceret : quàm  
legem suauissimam ei fecit tener-  
imus in meritissimum coniugem  
amor , vt maluerit viuere capti-  
ua quam ab illo disjungi ; am-  
bo itaque , quibus præter famulum  
vnum ancillamque nullus aderat,  
mutuâ se & castâ societate conso-  
labantur.

Necdum inimicorum inuidia ,  
aut populi furor acqueuit; petitur  
ad necem innocentissimus Præses;  
sed meditatum scelus apud Do-  
minicanos cōmodè fieri non posse  
rati seditiosi, ab Cœnobio in ar-  
cem D. Ioannis quæ equitum Me-

litensium est iuxta Dealbatam traducendum putauerunt : futurum enim sperabant ut in itinere à Cultellarijs, præter quos transendum erat , vel iugularetur , vel in proximè fluētem Garumnam projectus mergeretur ; tutioris tamen & arctioris Custodiæ causam vnicè prætendebant ; liberius illum apud Iacobitas dègere , inuisi à Monachis frequentius, periculum esse né eorum ope nocte intempestâ euaderet. Loci mutationem ferrenon potuit graui correptus morbo : tum verò ad Curationem pro eo quo vtebatur medico, dati sunt alij & minus intelligentes & au-

bus ipse parum fideret. Interea totam illius domum perscrutari, Chartas omnes euoluere, omnemque in partem versare, ut inde criminis Indicium aliquod , aut argumentum elicerent; sed nec chartis , nec testibus, nec vllis alijs probationibus summâ diligentia vnde quaque conquisitis, viri boni integritas & innocentia labefactari vlo modo potuit. Quin Satellitibus dictabat ( neque enim ei fas erat cum alijs agere ) velle se examinari summo iure , ad quælibet supplicia ac mortem etiam , si eâ dignus Iudicibus videretur , param esse.

Interea septimo Idus Febr. intercipiuntur per vrbanos portarum custodes geminæ litteræ; aliæ à Daffisio Patrono Regio ad Illustrissimum Dom. Matignonem Polemarchum & in Aquitania Proregem; aliæ ad ornatissimum Fratrem Daffisium Senatus Burdigalensis Principem conscriptæ, quibus vtrumque faciebat certiorum illorum quæ Tolosæ gerebantur, & ab iis suppetias petebat. Illicò missi satellites qui hominem è Campania Villa quo secesserat, in carcerem Tolosam deducerent. Ex iisdem litteris intellectum est,

Dominū Rattem Ecclesiasticum

Senaz

Senatorēm, nunc Episcopū Mōs-  
 peliensem, equis dispositis ad re-  
 gem profectum, quo rerum Tolo-  
 sanarum statum illi aperiret. Qua-  
 propter grauiter commoti, in ab-  
 sentem proscriptis omnibus bo-  
 nis capitalem sentētiā tulerunt.  
 Ac primo in Daffisium iure actum  
 est: litteras agnouit sua manu cō-  
 scriptas, & sui fuisse muneris eas  
 prescribere constanter defendit,  
 se fisci esse Patronum & iureju-  
 rando teneri causam regiam de-  
 fendere, eaque omnia præstare  
 quæ ē re illius viderentur. Quo-  
 niam vero in vtraque epistola fie-  
 bat mentio de Durantij carcere,

vēriti ne euaderet, aut aliquid noui moliretur, breui interficiendum esse iudicarunt.

Itaque Anno D. 1589. quarto Idus Feb. die veneris circa horam quartam vespertinam sicarij, quisus tanti sceleris Prouincia demadata erat, Præsidem adorti sunt, in partem eius vulgi, fœcem vocates, nouo hoc commento, quod Durant. urbem hæreticis permisurus esset, & iam Daffisij litteris accitus Matignonus Burdegalâ Tolosam magnis itineribus contenderet. Ventū est ergo ad Cœnobium Dominicanorum; cumque portas suis machinis cōuellere

non possent, ignibus sibi viâ intrò  
factâ ingressi sunt, in nullo custodum  
obſistente; quod hi horumque in-  
primis præfecti coniurationis par-  
ticipes eſſent: ex illis vnuſ Duran-  
tium adiit & à populo peti nun-  
ciauit. Tum ille intelligens, quò res  
ſpectaret, de genibus peccatorum  
veniam ardētiſſimè precatuſ, Deo  
Spiritum ſupplyx commendauit?  
hinc ad vxorem versus, vale, in-  
quit, dilecta mea, conſeſſerat mi-  
hi Deus vitam, facultates honores,  
his omnibus breui ſpoliabor, ani-  
ma illorum expers criminum, quæ  
mihi maleuolorum inuidentia ca-  
lumniosè imposuit, mox ſummi

iudicis Tribunalis sistetur, spera in  
Deo & ille tibi nunquam deerit.  
Ad hæc concidit exanimata con-  
iux optima & mortuæ similis ab-  
eunti marito extremum dicere va-  
le non potuit; tūm populo tradi-  
tus est Durantius à custodum te-  
rrimo clamitante, Ecce Homo,  
quibus Verbis Christus innocens  
Iudæis olim, eius sanguinem sitiен-  
tibus ostensus est. Ille togatus &  
imperterritus obtulit se crudeli-  
bus feris. En adsum, inquit, To-  
losates, quodnam concepitantūm  
scelus, aut qua tandem in re de-  
vobis malè meritus sum? Maiestas  
viri, constantia, grauitas, & fidu-  
cia

cia loquentis obstupefecit sceleratos , tenuitque aliquandiu hæsitan-  
tes , donec redeunte æstu animo-  
rum , nefarius quidam sclopeti gla-  
dem in pectus explosit , continuo-  
que omnes facto in illum impetu  
manum innocentis cruentarunt san-  
guine : atque oculos satiarunt mor-  
iens ille elatis in Cœlum manibus  
exclamabat , Domine Deus susci-  
pe Spiritum meum , & ne statuas  
illis in peccatum , nesciunt enim  
quid faciunt.

Raptatur per Ciuitatem cor-  
pus cruentum , magno bonorum  
omnium mœrore , in Plateam D.  
Georgij , quò ultimo supplicio dā;

natos deduci mos erat , atque ibi  
in pedes erectum collo ad gaba-  
li portam fetream alligatur , fortè  
enim deerat crux , affixâ à tergo  
**H**enrici Tertij Regis Christianif-  
simi effigie , nocturnis canibus  
tanti viri cadauer exponitur di-  
laniādum , quo quid acerbius ? quid  
luctuosius vidèri potest ? Templū  
sanctitatis , amplitudinis , consi-  
lij publici , caput vrbis , ara Pro-  
uinciae , tam fœdè violatur & ludi-  
brium est populo prætereunti .  
Etenim è multitudine quæ illuc  
confluxerat , aliqui , subsannare  
mortuum & ducere crudeles io-  
cos , frueretur nunc Rege cui tan-

topere studebat , alij verbera ad-  
dere , vellere barbam & crines , &  
impetere saxis per summam indi-  
gnitatem . Extincto Duratio com-  
motum vulgus necdum sanguine  
satiatum , rectâ in Palatiū ad Daffi-  
sium properauit & carcere vi extru-  
sum , variis telorum ictibus confo-  
derunt . Iacuit in vestibulo carceris  
corpus in posterum usque diem .  
Eodem die saeuitum est in unum  
ex Durantii seruis in carcerem Ar-  
chiepiscopi Tolosani coniectum ;  
ab eo die quo Dominum è Palatio  
redeuntem , & lapidibus propè  
obrutum defenderat fortiter , me-  
diisque coiuratorum turmis sub-

traxerat. Postridie Octovirorum  
vnus coram Senatore corpus Du-  
rant. linteo inuolui iussit cum ima-  
gine Regis, & ad Franciscanos de-  
ferri curauit, sine exequiis, sine pō-  
pa, sine laudationē. Illi vt erant in  
eum benè affecti, magno cum lu-  
ctu suscepimus corpus iuxta præci-  
puum altare inhumarunt. Eodem  
itidem die corpus Daffisij in Ec-  
clesia Diui Antonii sine funeris so-  
lemni pompa, terræ conditum  
est.

Nondum sedatum erat vulgus,  
& postridie multò tristior apparuit  
facies Tolosæ, per quam vncō tra-  
cta regis effigies à Capitolio euulsa  
venalis.

vcnalis sub hasta p<sup>r</sup>oposita est, cla-  
 mitante vno veluti p<sup>r</sup>æcone licita-  
 tur Rex Carnifex quinque assibus  
 ad restim sibi emendam. Mox  
 Præsidis domus diripitur, æstuante  
 perditæ multitudinis auaritia quæ  
 huius & virorum bonorum exuvias  
 suam esse prædam, proiectæque  
 audaciæ mercedem credebat.  
 Dispergitur insignis illa Bibliotheca  
 Musarum sacrarium, tot tantis-  
 que impensis, tanta cura & sollici-  
 tudine comparata; quamplurimi  
 libri ab eomultis vigilijs elaborati,  
 nec adhuc in lucem editi, pedibus  
 proteruntur indoctorum hominū,  
 discinduntur ab imperita turba,

quæ non magis iustum librorum  
pretium nouit quam sue Margari-  
tarum; omnis denique res fami-  
liaris momento diripitur. Atque  
hic Durantij finis.

Vixit annos 56. Tolosæ natus  
Patre Senatore integerrimo viro.  
Adeò gnauiter litteris incubuit, ut  
cum nondum attigisset annum eta-  
tis 17. de Iure in Academia triduū  
magna cum omnium admiratione  
responderit. Inde in Aduocato-  
rum numerum accitus, non in Su-  
prema se tantum, sed etiam in  
Octouirum, Vicarij, Officialis,  
Senescalli aliorumque inferiorum  
Iudicium curijs dicendo exercita-

uit, qua dicendi exercitatione principem inter ætatis suæ Patronos locum breui obtinuit. In Octouiratum assūptus est an. 1563. mense Nouemb. more consueto, quod munus gessit adūsque diem 19. Martij an. 1565. In quod tempus dilata fuerat Capitolinorum creatio, quam sibi Carolus nonus Tolosam venturus referuarat. Anno sui Octouiratus prouincialibus Occitaniae comitijs Beldicarri habitis legatus interfuit. Inde nomine ciuitatis Lugdunum missus est ut regē salutaret, atque ab eo accipere ret quo tempore Tolosam esset venturus. Quoniam verò eloquen-

tiâ cœteris longè præstabat , desi-  
gnatus est orator Regi Tolosam  
veniēti , quod munus,tam gloriose  
obijt, vt dignus visus sit quem To-  
losa legaret, Reges audirent. Mox  
electus est in fisci Patronum suc-  
cessor ornatissimi viri Bertrandi  
d'Aigua an. 1568. & tandem su-  
premam Senatus Principis digni-  
tatem consecutus est, post obitum  
Illustrissimi viri Ioann. Daffisij so-  
ceris sui ann. 1581. quem ille Magi-  
stratum gessit summa cum laude  
integritatis, donec felicem eius re-  
giminis cursum , malum Reip. fa-  
tum & comes magnarum virtu-  
tum invidia corrupit.

Vt erat ille non tam sibi quām  
patriæ , quām religioni , quām  
Reipublicæ natus , de re domesti-  
ca augenda non cogitauit , de pu-  
blica promouenda magnopere  
sollicitus . Sodalitia duo præstan-  
tissima Tolosæ instituit , vnum san-  
cti Spiritus , misericordiæ alterum ,  
illud eo spectat , vt Virgines  
egenæ ac de pudore périclitantes  
maritentur , hoc vero ut pauperi-  
bus carcere detentis solatium , sub-  
sidium , virtus & libertas procure-  
tur ; vnicuique horum quingentos  
triginta tres aureos cum triente  
Testamento suo legauit . Pa-  
tres Societatis IESV in urbem

induxit. Capucinos ex Italia eu-  
cauit aluitque suis sumptibus , do-  
nec commodum in vrbe domici-  
lium habuerunt. Canonicos &  
Franciscanos qui Tolosam se re-  
ceperant, Insulâ Iordanâ ab hosti-  
bus captâ, vrbe, domibus, templis  
donauit, aliósque plurimos sacer-  
dotes qui Tolosam tanquam ad  
sacrum religionis Asylum confu-  
gerant, humanissimè excepit.

**N**ihil habuit antiquius post vir-  
tutis, tum priuatæ, tum publicæ  
studium, quam vt litterarum ho-  
norem amplificaret. Hunc ob si-  
nem vt Academiam redderet flo-  
rentissimam, vndique accersebat

eruditissimos Professores, & statim  
earum exercitationibus, Senatorū,  
Patronorumque doctissimas le-  
ctiones adiungebat. Eos adoles-  
centes in quibus aliqua virtutis &  
ingenij semina elucebant, li-  
beralibus artibus, suis sumptibus  
instruendos curabat. Collegium  
Squillanum magnificè construere-  
tur, & viris ornaretur eruditis pro-  
vidit.

Pauperum & Xenodochiorum  
res curæ habuit quam maximæ.  
Varij Pœnitentium cœtus (flagel-  
lantes vulgo appellant) repugnan-  
tibus multis, illius authoritate in  
urbem inducti. Cum uxore vitam

duxit castam, piam & religiosissimis hominibus dignam : quod sancte confirmarunt testes eius virtutum oculati ; tum Capucini quos tandem apud se tenuit , quamdiu Cœnobium lue infectum habuerunt , tum etiam Patres Eulienses , qui ad eundem frequenter diuertebant . In summa dici potest Durantium curam omnem suam , cogitationem & operam , ad Dei optimi Maximi gloriam & Recip. utilitatem contulisse , neque enim de ditanda familia sollicitus unquam fuit ; auitis possessionibus contentus nullam iniit novam præter domū quam etiam ex Paternarum ædiū

venditione

vēditione coēmerat. Ecclesiæ prō-  
uentus qui bus abundare facilē po-  
tuisset ac litigantium munera con-  
stantissime reiecit , quippe vir sa-  
piens & fortis non tam præmia se-  
qui solebat rectē factorum , quām  
psa rectē facta.

Inter Præsides Galliæ si diuitias  
spectes , vnus omnium pauperi-  
mus , si vitæ integritatēm , si do-  
ctrinam , si animi bona , non aliud  
erat illo locupletior. Maleuoli qui-  
dam cum paulò post illius obitum  
superstitem atque immortalem vi-  
ri gloriam appetijsset calumnijs  
& libellum supplicēm Senatui ob-  
tulissent vt in eum testibus agi lice-

ret; re impetrata & testibus vndique perquicisis nullus inuentus est, qui Durantij famam in iudicio, vel leuiter perstrinxerit. Adeo nomen eius sanctum & venerabile cunctis erat.

Cum hæc Durantij decora æquales eius, viri omnes boni suspicerent, illi fore diuturna sperabant & comprecabantur, quæ tam tam acerbo & immaturo extincta fato posteri omnes doluerunt: namque charior etiam extensis quam suis, ijsdem multo pretiosior visus est. Hunc inter insignes iuris peritos Itali retulere, eiusdem libros, de ritibus Ecclesiæ, Sextus

Quintus Pontifex Maximus Ro-  
 mæ Typis mandari iussit impensis  
 suis , qui nunc per totam Remp.  
 Christianam vulgati, doctorum  
 feruntur manibus , & summo ha-  
 bentur in pretio. Agnouit etiam  
 tandem Tolosa iniuriam tanto viro  
 factam , agnouit & detestata est.  
 Decreuit illi Senatus publicasexe-  
 quias quæ omnium Ciuitatis ordi-  
 num & ciuium frequenti concursu  
 magnificè celebratæ sunt die 5.  
 Decemb. anno Domini millesi-  
 mo quingentesimo nonagesimo  
 primo.

*F I N I S.*




All. 18, 31

X1 6.1 b. m 5068

1900  
Cpt

169.





- et c'est surtout l'ouvrage des amis, qui  
pour supports avec résignation la mort  
cruelle de ceux-ci, et leur perte pour la  
République, ne peuvent assumer plus longtemps  
une solitude entière, alors que l'oubli est  
définitivement fait, les vertus si ralatantes  
de ceux ~~malheureux~~, et que soient perdus pour la  
postérité des exemples si utiles. -

C'est pourquoi un ami de l'illustre Danton,  
alors que sa malice emploie la douleur,  
a été trouver un soulagement à une douleur si  
juste et si déchirante en écrivant son témoignage  
~~formal démentie au Roi~~, et sa ~~dispar~~affiance pour  
les combattants - et en transmettant ce témoignage  
à postérité. - Celui-ci présente cette histoire  
dans un livre bien des lieux, et nécessairement  
~~sur~~livré plus à tous - maintenant cette traduction  
le plaît. - Bonne Lecture, ~~que~~ les vertus  
éminentes de Danton purront causer